

**CELEBERRIMO VIRO
DOMINO
CHRISTIANO
WEISIO,**

Gymnas. Zittaviens. Reſtori

de
**Studioſa juventute jam diu præclariffime
merito,**

de
NOVO GAUDIO,

**EX AUSPICATIS NUPTIIS
FILII UNICI & OPTIMI**

L. J. E. W.

orto,
ex
animo gratulatur

D. Adamus Rechenberg,

**In Academ. Lipſ. Theol. Prof. Primarius & Colleg. Theol.
DECANUS.**

A. MDCCVI,

GALERAMO TRO
 DOMINO
 CHRISTIANO
 WEISSIO
 Cantus Rectorem Rector



In Academia Lipsi Theol. Acad. Sennariv & Colleg. Theol.
 D. Abatus R. Schenbergs
 A. M. D. C. C. L. V.
 DECANUS

A. M. D. C. C. L. V.
 A. M. D. C. C. L. V.



Agna lætitia perfudit pectus amicum
Lætitiæ testis littera missa Tuæ,
Gratius esse nihil veteri poruisset amico,
Cui nondum tepido langvet amore fides.
Candida quæ quondam fuerat nos inter amicos
Non simulata fides, jam quoque firma manet,
Tempus abit nobis, abiit ver svave juventæ:
Nec tamen in nostra mente senescit amor.
Annus bis decimus nobis & quintus abivit,
Cum caneres sponso carmina grata mihi.
Non mihi sed posthac licuit transmittere carmen:
Nam Tibi fax thalami non repetita fuit.
At nunc, dum sociâ coëunt in foedera lecti
FILIUS & Sponso digna puella suo;
Par est, incultum quamvis, TIBI mittere carmen,
Et grata officii reddere mente vices.
Carmina missa mihi tunc gaudia magna ferebant:
Nunc mea forte TIBI candida verba placent,
Etsi, quod nosti, non possum pangere versus;
Officium versu carius esse decet.
Temporis illius memini, me præside quando
Responsa egregio FILIUS ore dedit,
Disseruitque, novis ut sint jungenda vetusta:
Qui, credo, studium jam quoque tractat idem
Mos vetus est hominum, sociam sibi jungere vitæ
Conjugio: antiquæ sic studet ille rei.
Nec minus ille parat caro nova gaudia PATRI:
Jamque nova ex illo spes TIBI prolis erit.
TU, qui præteritis pater adpellatus es annis,
Hujus sub finem nomen habebis avi.

Gra-

Grata TIBI novitas erit hæc; si quando nepotem
 Neptemve adspicies plenus honoris avus.
 FORTUNATE PARENS, WEISI, dum cana senectus
 Vires debilitat, gaudia magna capis.
 Festa TUUS celebrat jam connubialia NATUS,
 Unica spes generis, sola columna domus.
 Jamq; vides SPONSUM cum SPONSA jungere dextras;
 Has TIBI delicias nunc Deus ipse parat.
 Quæ nova res melior poterat contingere PATRI,
 Dum novus hic annus cœpit inire viam?
 Oro ego propitium devoto pectore Numen,
 Et, credo, obveniet nulla repulsa mihi,
 Tramite felici cœptus TIBI currat ut annus,
 Et procul a vestra sint mala cuncta domo.
 Qui sua legitimo junxerunt pectora nexu,
 Felices vivant FILIUS atque NURUS.
 Amborum mentes sancto Deus impleat igne:
 Sit SPONSUS Cajus, SPONSAQUE Caja Tibi!
 Fata senis videas Senior prosperrima NATI,
 Fias felicitis, sæpeque prolis avus.
 Egregias artes porro quoque, tempore longo,
 Sub signis discat culta juvenia Tuis;
 Doctrinaque Tua nascatur plurima proles,
 Quæ TIBI, quæ patriæ gaudia plura ferat;
 Donec in ætheriis longæ post tempora vitæ
 Doctorum capias præmia grata locis.
 Interea fidum pectus servabis amico,
 Ex voto, qui TE, crede, valere jubet!

